Horæ.	Cisterna.	Horæ	Cisternæ.
2. 3. 6.	1.	6?	3. 2. 1.

Collectis iam in vnum his tribus inuentis numeris 3. 2. 1. vt fiant 6. dic. Si sex cisternæ euacuantur in 6. horis, quanto tempore 1. euacuabitur? inueniesq; in vna hora. Id quod hac ratione examinabis. Si maxima fistula exhaurit totam cisternam in 2. horis, & media in 3. & minima in 6. quantam partem cisternæ exhaurient singulæ fistulæ in 1. hora? veluti hic appositum est.

Horæ.	Cisterna.	Hora.	Cisterna.
2. 3. 6.	1.	1?	$\frac{1}{2}$. $\frac{1}{3}$. $\frac{1}{6}$.

Inuenies enim maximam fistulam euacuare $\frac{1}{2}$. cisternæ, & mediam $\frac{1}{3}$. & minimam $\frac{1}{6}$. quæ omnes partes efficiunt vnam integram cisternam.

Eadem hæc quæstio ita proponi potest. Est cisterna habens in summitate tres fistulas inæquales: maxima replet cisternam in 2. horis, media in 3. & minima in 6. quanto ergo tempore omnes simul cisternam implebunt? Inuenies enim 1. horam.

Pari ratione ita potest proponi. Sunt tres artifices: primus absoluit opus quoddam in 2. annis, secundus in 3. & tertius in 6. quanto ergo tempore omnes simul idem opus perficiēt. Inuenies enim 1. annum.

Cæte-